

disimilitudinis Dei ingentis homini. Cum enim ad imaginem, & similitudinem Dei homo conditus esset, per originale vitium disimilis Deo extitit: aque hæc disimilitudo dicitur homini ingenta, quia per naturalem generationem ex Adamo transfusa est. Sola Deipara in instanti suæ conditionis præ se tulit illam Dei imaginem, & similitudinem. Mariana enim Conceptio persimilis omnino fuit impolutæ Adami conditioni.

Petr. Hispan. Perfectione Mariana formatio, quam Adamicam, & Evam. Amadeus. 522 Finio Petri Hispani verbis Tract. de Concep. Virg. Hæcior disputatio esset excellentiam aliquam sacratæ Virginis conceptioni supra primorum Parentum creationem concedere, quam ipsam illis inferiorem appellare præsumere. Subinde Angelus, qui S. illi Amadeo Monacho divinitus apparuit, hæc scribit in nova Apocalypsi, Raptu 4. ubi de ipsissima Mariæ conceptione, & corporis articulatione agit: Dico tibi plus, quod Deus voluit, ut corpus matris gratia, & consolationis fieret, & formaretur perfectum, & perfectius, quam corpus Evæ, & ipsius Adæ, & æqualis perfectionis esset cum corpore Christi, ubi non repugnabat contradictionem sexus. Rectè ergo, ac verè Joannes Geometra Græcus, antiquusque Deiparæ Encomiastes, in Hymno 3.

Ioan. Geomet. Gaude Virgo, decus natura pulchraque imago, Que summi genium continet artificis. Sic interpretes ex Græco; quod tamen exemplar singulare emphasim habet.

Deipara totam Artificis hausit artem. Χαίρε νίγη, φῶτος ἀνεμα, ἀραμα πλάσων; Δεξάδου τέχνης πάσαν αἰεὶ στήθη. Potest ex verbo proprius reddi: Ave Virgo natura gloriatio, figmenti ornamentum, & pulcherrima imago; quæ totam summi Artificis hausisti artem. Scitè Geometra perfectas mensuras hujuscæ imaginis exegisse visus est, dum Deiparam primi plasmatis gloriationem, oblectamentum, ornatum nuncupavit; utpote quæ divinam pulchritudinem tam expressè retulerit, ut universam Opificis divini artem, totamque summi Artificis potentiam quodammodo explevisse videatur.

SECTIO XXI.

Mariæ conceptio simillima immaculatæ, & sanctissimæ Christi conceptioni.

§. I.

Instituunt universim probatur.

Sicut Christus ex ore Dei purissimè prodiit, sic Deipara. 523 Hoc ipsum probant illa verba, Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Nam eatenus Christus D. quæ homo est, dicitur ex ore Altissimi prodiisse (etsi naturalem, ac verissimam Virginem Matrem habuerit) quatenus ejus conceptio usque aded immaculata fuit, & miraculosa, ut Dei solius opus esse videatur. Non longè ab simili ratione Virgo Christifera se ex ore Altissimi autumat prodiisse, ut Patris æterni primogenita; quia ejus conceptio adeo fuit purissima, & miraculosa, ut à solo opifice Deo esse videatur, non à Joachimo, & Anna verissimis illius Genitoribus; ne subinde aliqua originarii vitii suspicio ex terrenis parentibus in ejus conceptione generaretur. Ergo Deiparæ conceptio simillima prædicanda immaculatæ Filii sui Conceptioni. Rem illustro, in primis universim, deinde singulatim.

Mirus est hac in re S. Anast. Sinaita ad extremum lib. 5. commentariorum in Hexæmicon, ubi dilucidè fateatur, Beatam Virginem ab ipsissima ejus conceptione purissima fuisse imaginem. Et quis, mihi, dic quaeso, aut ex hominibus, aut ex demonibus, audebit dicere, quod ea, quæ est ejusdem simul cum Deo essentia, quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem ejus, qui est ex ipsa natura? Quomodo est enim Mater ejusdem Filii, non ferens in se integram, & illasam factus sui imaginem? Tantum Anastasius, & tam dilucidam, ut legisse suffecerit. Applaudit Dionysius Richelus lib. de præconio, & dignitate Mariæ c. 38. Quemadmodum in donis gratia, sic prorsus in natura perfectionibus, simillima Filio suo erat Maria. Quod pergit pius, ac doctus explicare Dionysius. Cui aditipulatur Nicephorus lib. 1. Hist. Eccles. c. 40. cum Christi effigiem descripsisset, hæc addit: Persimilis denique per omnia fuit divina, & immaculata sua Genitrici. Certè propterea relati scriptores, & alii multi, quos taceo, Deiparam asserunt Christo simillimam, & moribus, & corpore, quia Dei genitrix futura erat, à qua, nullo adjuvante viro, sed Spiritu sancto Artifice, integram sui corporis materiam Christus pertraxit.

524 Architecturatur primam foeminam divinus Opifex, hunc in modum prolocutus fertur Genes. 2. 18. Non est bonum, hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi. Etenim, ut horum verborum acumen facile expendas, observa primò, Adamum expressam, atque absolutissimam Christi imaginem fuisse, dum divinâ manu coagmentatus factus est, & in sanctitate, & justitia creatus. Ita expressè Paulus 1. ad Corin. 15. v. 45. & 47. Unde S. Ambros. lib. 3. in Lucam sub finem, S. Ambro. ita: Jam de ipso Adam, qui juxta Apostolum, figuram accepit Christi; quid pulchrius potuit convenire, quam ut sacrosancta generatio à Dei Filio inciperet, & usque ad Dei Filium deduceretur; creatusque præcederet in figura, ut natus in veritate sequeretur; ad imaginem factus præiret, propter quem Dei imago descenderet. Consonat Tertullianus explicans hominis creationem lib. de Resurrect. carnis c. 6. Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quæd & limus, & sermo caro, & terra tunc, &c. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus. Itaque Adam, & ad imaginem Christi factus est, & expressa extitit Christi futuri imago, in prima sui efformatione immaculata.

525 Rursus, sicut Adamus Christi imago extitit, ita Deiparæ sanctissimæ Eva Adami uxor & filia, mulierum nobilissima, miraculo nata, & sine culpa originis producta, typus fuit. Sic frequenter Patres innumeris in locis, quorum accuratè meminit noster Canisius in Opere Mariano lib. 1. c. 2. & maxime lib. 4. c. 14. Sicut ergo Eva Adamo extitit persimilis; ita Deipara Christo fuit simillima in sua prima fabricatione: nam sicut primus homo de terra terrenus, & secundus, id est, Christus, de celo celestis, ita prima mulier de terra terrena; & secunda, id est, Maria, de celo celestis. Planè adiutorium extitit simile Christo: quia simillima ejus Conceptio, Filii sui conceptioni. Audi Archangelum sancto illi Monacho Amadeo divinitus loquentem in nova Apocalypsi Raptu

Amadeus.

Raptu 8. & sermones ab Apostolis habitos in transitu B. Virginis referentem; ita in Sermone S. Matthæi: Evam legimus & audivimus de costa Adæ plasmata nobilissimam, & delicatissimam, complexionisque optima fuisse, & ipsi viro, de quo sumpta est, simillimam; sed te nobiliorem in cunctis membris, humoribus, & corporis partibus in utero felicissima Anna incomparabiliter plasmavit, & in omnibus corpori Filii tui, quando per donum Spiritus S. te quoque adjuvante ut matre, optimum & perfectissimum plasmatum est, simillimam reddidit. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum; tu similiter post ipsum, & valde parum distans ab ipso, pulcherrima mulierum es, & super omnes pulchra & decora. Congruum quippe erat, ut mater gratia, & veritatis, & misericordie genitricisque Dei, dignioris complexionis esset, quam mater carnalis omnium viventium. Instum certè erat, ut illa dignior esset etiam corpore omnibus aliis, ex cujus purissimo sanguine humore plasmandum erat dignissimum corpus Redemptoris omnium. Hactenus Gabriel Archangelus, vel potius S. Matthæus: qui dilucidè tuetur, simillimam fuisse Deiparam Filio suo vel in ipsa virginei ac purissimi corporis fabricatione, quæ nos haud præstantior fuit antiquæ Evæ conditione ex viri costa; id enim Matris Dei dignitas jure suo exposcebat, ut in Genitrice sua Deus homo adiutorium simile sibi haberet.

Divina bonitati creatio universitatis adscribenda.

Tertull.

526 Sed enim verò præstat hinc audire antiquissimum Tertull. lib. 2. contra Marcio. c. 4. ubi præfacta Geneleos verba majori, quam solet, acumine expendere visus est. Divine ille bonitati creationem universitatis adscribit: dum autem Creatorem bonitatis nomine compellat, perfectionum omnium cumulum intelligit: Bonum enim definitur à S. Thoma 1. p. q. 5. a. 5. quod perfectum est, cui nihil deest. Hoc posito; Mundus (inquit Tertull.) ex bonis omnibus constituit, satis demonstrans quantum boni operaretur illi, cui preparabatur hoc totum. Quis denique dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago, & similitudo? Eam quoque Bonitas, & quidem operatior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Bonitas dixit, Bonitas finxit hominem de limo. Bonitas inflavit animam, non mortuam, sed vivam. Postquam hæc observavit Tertullianus, quæ nos haud otiosè descripsimus, subdit statim quæsitissima isthæc verba, quibus divina illa exponeret, Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Ad quæ in hunc modum ille: Eadem Bonitas & adiutorium prospexit, ne quid non boni: non est enim, inquit, bonum, solum esse hominem: sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesie profuturum. Ex quibus verbis sic licet arguere: Evam dum summa illa Bonitas crearet, Mariam sanctissimam proludebat. Rursus; In Evæ creatione nihil non boni, vel uno hoc nomine, quia illa secundam Evam Mariam creandam repræsentabat; Ergo in secundæ Evæ, Deiparæ nempe, creatione nihil non boni: ergo nihil mali.

Dum Dei bonitas Evæ creabat, Deiparam proludebat Christo simillimam, summaque bonitati.

Tertull.

527 Macæ sapientia, Florens Tertullianæ, utinam tam sapienter omnia. Porrò hanc esse germanam ejus sententiam, ratio ipsa ab eodem Tertull. assignata, omnino convincit: Eadem Bonitas & adiutorium prospexit, ne quid non boni: sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesie profuturum. Hæc illa nimirum ratio erat, propter quam in Evæ creatione nihil non boni: videlicet Mariæ aditipulationem creatio, atque optima conceptio, in qua nihil non boni; nihil omnino mali, de sententia Tertulliani. Rectè id: excolitur. Sed quid sibi vult illud? Sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesie profuturum: nam propterea, adiutorium provisorium in Evæ creatione summa Bonitas præmeditaretur, Matrem Dei præmeditaturam futuram, atque eâ ratione suo sexu profuturam esse voluit divina Bonitas; profuturam verò tum Adamo in libertatem asserendo, tum etiam Ecclesie universæ redimendæ. Quid igitur? Nihilne aut Adamo liberando, aut Ecclesie ita redimendæ Virgineus Mariæ sexus profuisset, siquid non boni, si quid mali ipsius creationi, & conceptioni infuisset? Ita verò maxime censet Apostolicis temporibus suppar Tertullianus. Neque enim illa Dei Genitrix extitisset, si quid non boni, si quid mali tantquam habuisset. Nos autem vix est ut tantæ antiquitatis tam eximium argumentum expendendo tandem absolvamus.

528 Igitur ut id concludam, observo epithetum illud adiutorium simile sibi; in quo Tertullianus totam absolutissimæ perfectionis Marianæ virtutem fixit. Propterea enim in Evæ, & in Mariæ creatione nihil non boni, & nihil mali; quia Eva adiutorium simile Adamo, & consequenter Creatori Mariam præludebat; quia, inquam, Maria Christo Deo & homini jam inde à prima sua creatione simillima formata est. Itaque illud, ne quid non boni, omne malum à Maria profus excludit; illud verò adiutorium simile, omne bonum (servatâ analogiâ) Mariæ adscribit: quam enim hinc adiutorium simile viro summa Bonitas dicit, nuper eadem Bonitas dixerat: Faciamus ad imaginem & similitudinem nostram, eodem Tertulliano interprete supra citato: Ergo nova Eva, sanctissima Deipara, summa Bonitati persimilis condita, ejusdem Bonitatis simillimam imaginem ab ipsa retulit suâ conceptione. Cum autem in summa Bonitate nihil non boni sit, cum illi nihil perfectionis desit, meritò simillimæ ejus imagini, nempe Mariæ, nihil non boni infuisse, imò nihil boni defuisse, docuit Tertullianus. Ex cujus testimonio fatendum omnino est, Marianam Conceptionem simillimam fuisse immaculatæ, & sanctissimæ Christi Conceptioni.

Cæterum operæ pretium erit, sigillatim, & per partes similitudinem expendere utriusque Conceptionis Christi ac Deiparæ.

§. II.

Gabriel Archangelus, multis Angelis comitantibus, Nuncius extitit utriusque Conceptionis: & quid inde pro Deiparæ immunitate.

529 Gabriellem Archangelum præcipuum fuisse Dominicæ Incarnationis legatum, fide est certum Luc. 1. Multis ipsum cœlestibus spiritibus advenisse comitatum, uti in Regis legationibus fieri solet, docui-